DE

PARTU

PER PARACENTESIN OVI TEMPESTIVE ELICIENDO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

SIBI IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES
RITE CONCEDANTUR
DIE XXX. M. DECEMBRIS A. MDCCCXIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JO. GOD. IM. GUIL. HARRAS.

MAGDEBURGENSIS

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDEIRCI STARCKII.

In conscribenda dissertatione inaugurali maxime mihi videbar operae pretium facturus, si exemplum quoddam partus praemature excitati satis memorabile litteris mandaverim, unde lucem, cum toti arti obstetriciae, tum capiti quod super hac re est, splendidissimam oborturam esse existimavi. Poterat exinde de illius artificii vel praestantia vel pravitate apte judicari, quod in summo observationum idonearum defectu maximi nobis momenti esse debet. Incerti enim sunt hac nostra aetate vel eminentissimi artis obstestriciae professores, sitne artificium partum praemature ciendi laudandum, an reprehendendum, haerent dubii, utrum locus inter operationes obstetricias sit unquam illi concedendus nec ne, exemplis quibusdam etsi rarissimis alii suadent adhibendum, quasi unicum sit, certissimnmque auxilium, alii negant. Iam vero, quum gravissimum illum artis obstetriciae locum repetitis demum experimentis iisque summa cum accuratione institutis clarius illustratum iri, omnibus pateret, Ill. de Siebold, hujus artis et conservator et promotor longe meritissimus, data occasione consilium cepit, partus in instituto suo Lucinae sacro, certis quidusdam ex indicationibus praemature ciendi, scilicet, ut viam muniret novis experimentis per-

certe encomiis sunt extollendi punctionis tunicarum ovi inventores, quorum acumine comparatum nobis auxilium est certissimum tutissimumque, unde miseris, quas graviditas certo praecipitaret, mulieribus, optima salutis propriae et aliqua certe servandae prolis spes affulget.

Operationis historia.

Partus praemature proliciendi operatio in Germania primum ineunte anno MDCCCXVIII a Clariss. Froriepio [1]) commemorata est, qui Vir Experientissimus post observationes felicissimi successus in Anglia frequenter a se institutas, aequius de ea judicium ferre videtur, quam antea a se latum, in priori operis sui editione proposuerat. [2]) Post eum exsurrexit vir gravissimus, summaque eruditionis laude conspicuus Wenzelius, qui post experimenta curatissime a se instituta, nec ira, nec studio permotus a. MDCCCXVIII in tractatu proprio [3]) hujus operationis usum in luce posuit, in reprehensionem una vocavit, qui in Germania ejus obtrectatores ac vituperatores extiterant, neque defuit illustrandis pensitandisque variis opinionibus, ac medicorum summorum, qui auctoritate in arte obstetricia prae ceteris excellunt controversiis. Eodem fere tempore Vir Celeb. Joergius operationem illam acerrima reprehensione perstrinxit, [4]) summis enim ethicae praeceptis contrariam existimavit, eamque ob causam

---

1) Theoretisch-praktisches Handbuch der Geburshülfe, 6te Auflage, Weimar 1818. §. 517.

2) Ejusd. libr. 5te Ausgabe. Weimar 1814. §. 506.

3) *Carl Wenzel* allgemeine geburtshülfliche Betrachtungen und über die künstliche Frühgeburt. Mainz 1818. bei *Florian Kupferberg.*

4) Schriften zur Beförderung der Kenntnifs des Weibes und Kindes. Leipzig 1818. 2. Theil Seite 290.

prorsus ejiciendam suasit. Similem professus est super hac re sententiam Cl. Osiander, qui, ut in vulgus emanaverat, se usum illa fuisse, publice negavit. [1]) Joergius instituendae operationis consilium jam a. MDCCLXXIX a Weidmanno [2]) propositum fuisse comprobat, is enim circa hanc rem in libello tunc temporis fere neglecto, et postea oblivioni mandato, fusius disputaverat, antequam ex Joann. Hullii operibus, jam medio saeculo superiori operationem in Anglia multorum medicorum controversiis agitatam, et experimenta quoque haud infrequenter instituta fuisse, intellexerat. Ipsam vero perficiendae operationis rationem recentioribus deberi, Joergius fatetur, revera enim in Germania nova est, quum neque Froriepius, neque Osiander neque Joergius ex Anglorum praeceptis, unquam antehac ovi tunicas perforassent, ideoque generalioribus tantum argumentis, quibus certe non nimia in arte obstetricia fides habenda est, vel refutare vel vituperare illius laudatores satagerent. Perforandarum ovi tunicarum ratio et Ill. Lodero innotuerat, saepe enim solebat Jenae in lectionibus suis academicis proponere, certam se tutissimamque partus praemature excitandi viam scire, indicare autem dubitabat. Cl. Wenzelii observationes et experimenta [3]) prae ceteris videntur idonea esse, ad confirmandas illius operationis laudes, quas Froriepius in publicum emanare jussit, ac refellendas quasdam praejudicatas opiniones, quibus ob magnam ceteroquin plurimorum obstetricantium in Anglia temeritatem, inventa inde oriunda indiscriminatim impugnari solent, atque in reprehensionem vocari. Videtur autem Germanorum illa gravitas atque moderatio vetare, ne a pristino vi-

---

1) Grundrifs der Entbindungskunst. Göttingen 1802. 2. Theil. Seite 297 — 299.

2) De forcipe obstetricio.

3) Loco citato.

tuperandi rejiciendique studio, protinus intemperanter illam adhibendi cupiditate exardescamus. Ceterum in Anglia plurimos fere medicos in dijudicanda tunicarum ovi perforatione consensuisse, certissimo testimonio, ut reliquorum opiniones omittam Guil. Cooperi et Joann. Burnsii sententiae confirmant. Ille enim in tractatu quodam de sectione caesarea jam a MDCCLXIX. a Huntero evulgato [1]; haec habet:

„In calce libelli mei hanc demum quaestio„nem proponam: Nonne quibusdam rerum sub „conditionibus, quibus plane persuasum nobis est, „nullo posse artificio patrari, ut partus novimes„tris servata prole bene succedat, rationale fuerit, „ac ethicae praeceptis plane consentaneum, ad ser„vandam matrem, illum tempestive artificio pro„licere?" Joannis autem Burnsii professoris Glasguensis Celeberrimi, verba haec sunt: [2]) „Ad praecavendam foetus comminutionem, et horrorem, quem dilacerati corpusculi ex utero exemtio incutere nobis debet avertendum, nonnulli partum praemature eliciendum suaserunt. Quod quidem auxilium et utilitatem affert perspicuam, et securitatem promittit optimam. Compertum vero habemus foetus caput ineunte mense septimo haud amplius pollicibus duobus cum dimidio in latitudinem patere, exeunte, pollices habere in latitudine duos cum tribus quadrantibus, octavo demum pollices referre tres. Jam nemo dubitat, quin foetus novimestris mortuus excludi debeat, imo ipsis uteri contractionibus extinguatur, pelvi haud amplius pollicibus duobus cum dimidio patente. Sunt interim plurima infantum septimestrium exempla extremam ad senectutem provecto-

---

1) Medical Observations and Inquiries. Vol. IV. pag. 261 — 271.

2) The Principles of Midwifery etc. London 1811. pag. 346. — Hunc librum recensitum video in Ephemeridibus medicis chirurgicis Salzburgensibus a. 1816. No. 58.

rum. Quodsi constat igitur, foetus caput, progressa graviditate utique esse perforandum, omnis dubitatio praecisa est, utrum sit partus ante tempus ciendus, nec ne. Haec certe ratio matrem perinde periclitari non sinit, atque unci acuti usus, nec quisquam potest infitiari, hic aliquam superesse servandae prolis spem, alias nullam. Proposuerunt quidem nonnulli, ut matris victu tenui, foetus incrementum prohiberetur, rationem vero ejusmodi nimis incertam esse existimo. Summae autem ethicae leges et artis nostrae praecepta non modo non vetant hanc operationem fieri, verum etiam exigunt faciendam. Jam ipsum emittendi liquoris amnii tempus, ad pelvis deformitatem maxime respondeat necesse est, quae quo major est, eo maturius esse ovi tunicas perforandas, suo fundamento constat; perexigua enim vel plane nulla servandae prolis spes superest. Ejusmodi rerum sub conditionibus tantum ad servandam matrem operatio est suscipienda. Subinde vectis, hic in usum est vocandus, similiter atque in partu naturaliter praematuro. Possunt quoque, quod saepius observatur, ossa sensim et pedetentim adeo distorqueri, ut ne uncum quidem adhibere liceat. Quodsi plures in talibus foeminis sunt graviditates exspectandae, optimum est atque tutissimum augescente deformitate, eo tempore partum ciere, quo abortus naturaliter fieri solet, ipso quarto mense, si res prorsus exigit. Curandae sunt post operationem institutam tales mulieres, perinde atque abortum passae, quies imperanda, et reliquis cautionibus utendum, linamento vagina implenda, ne haemorrhagia superveniat. Posset objicere qnispiam: Ergo abortum inducere conaris et partum enecare, ut matrem serves? Nihil autem proficiunt, qui talibus utuntur argumentis. Non dubitant ut videtur isti viri, uncum quam saepissime in usum vocare, neque sane intelligo, quid intersit, utrum quarto mense an nono foetum destruxeris. Neque solvenda nobis quaestio est, quonam jure liberorum procreandorum tales mulieres

spem alere possint, vel omnino idoneae ad concipiendum videantur. Hujus rei ratio habenda nulla est. Contenderim spem illam plane iis esse deponendam. Tamen nostrum est, gravidis succurrere." Hactenus Cl. Burnsius, cujus ipsa adducere verba haud incongruum judicavi, patet enim inde, quomodo res illa gravissima ab Anglorum medicis dijudicetur.

Operationis consideratio.

Quaestio oritur, qui factum sit, ut consilium a Germanico medico quadraginta abhinc annos datum, idque tam gravibus stabilitum argumentis, ut qui neglectum rejecerit, non nimis bene videatur de re medica meritus esse, oblivione sit tam alte sepultum, ut ne eminentioris quidem ingenii artis obstetriciae a conservatoribus, dignum instituendis experimentis sit habitum? Nulla sane lex partum tali auxilio faciliorem reddi ac promoveri vetat, eoque magis operationem illam plane obliteratam jacuisse miramur, quum vix certi quidquam a summis in arte viris de eo traditum sit, utrum sectionem caesaream, periculosiorem profecto, quod omnibus persuasam est, adhibere nec ne, et quibus rerum sub conditionibus liceat, quum vel ipsa instituatur infantis excerebratio, saepissimeque partum forcipe, periculosis tractationibus juvare medici obstetricantes soleant, infantem haud raro misere concutiendo, ac matrem crudeliter violando. Quodsi talia in usum vocandi auxilia indubitata medicis licentia est, non intelligere me posse, si quid meum hic judicium valet, ingenue fateor, cur non perinde sit licitum, matrem sine ullo vitae discrimine a partu, aliqua affulgente servandae prolis spe, liberare, partu scilicet illi praesens vitae periculum, huic certum exitium allaturo?

Quomodocunque autem res sese habeat, haud magnam is videtur laudem promeriturus, qui ex-

perientae testimonia minus in hanc rem conferenda existimet, fructus promittentem uberrimos, ac protinus ejiciendum censeat, quae experimentis tantum exactissimis perspici clare atque cognosci potest.

Proximum est, ut evincatur, utrum operatio artis praeceptis respondeat, fierique per se possit nec ne, nemini autem non clarum est, lucem arti nostrae hac in re experimentis tantum publice institutis, ac publico confirmatis testimonio, esse sperandam. Quibus si demonstratum fuerit, vel periculum inde et matri imminere et proli, vel securitatem illam polliceri aeque exiguam, ut alias atrociores etiamnum, tamen usitatas: vix opus erit adhuc ad theologiam confugere vel jurisperitiam; et operationem per se esse ex arte ejiciendam, cuique apparebit.

Sola hac ingrediamur via, quae ad justam cognitionem certissime nos perducet, unaque recordemur, et alias artis obstetriciae operationes similiter esse illustratas. Luculentissimum exemplum synchondrotomia est, quam per se quidem dubiam ac valde ancipitem ab eminentissimis tamen viris per experimenta esse saepius institutam constat, priusquam intellectum est, funestam eam esse, ac prorsus ex artis finibus exterminandam. Atqui hanc operationem cum nostra vix comparandam esse existimaverim.

Desistamus tandem aliquando ab inutili ista in rebus medicis et supervacua haesitatione, qua antequam Froriepianum illud compendium et egregius Wenzelii tractatus in lucem editus est, per totam Germaniam medici, praeceptis ethicis et perperam intellectis et falso ad hanc rem adhibitis obstricti ac veluti irretiti, et falso incerti eventus timore detenti, dubii huc illuc ferebantur. Qui cum injuriam partu mature excitato naturae inferri credebant, tum magis etiam, ne abuterentur hoc auxilio imperiti homines ac nefarii, nimirum ob facultatem qua operatio vel ab inexercitatis institui posset, metuebant, neque eam dignam

habebant, quam exactius cognoscerent, inscii ut videtur, ex hac ipsa quam concedebant facultate operationis laudes utilitatemque deduci, et solis tandem experimentis tam indicationes ejus stabiliri, quam abusum praecaveri posse.

Patet autem via, qua tutissime procedere vel anxiis et haesitantibus medicis licet, qua praecaveri nefarius abusus, et artis obstetriciae disciplina quam commodissime promoveri potest. Promulgetur lex, ne partus praemature cieatur nisi adhibitis ad consilium duobus saltem medicis, quorum aliquid in re obstetricia judicium valet, iique collegii alicujus medicinalis auctoritate obstringantur, ut observationes suas quam curatissime institutas vel publici juris faciant vel ipsi proponant. Quod si factum fuerit, et saluberrima artis peritis impedimenta naturae amoliendi libertas concedetur, et imperitorum scelus atque temeritas justos intra limites coërcebitur. Nemo autem medicus obstetricius consilium cum artis sociis inire hac gravissima in re, ubi de vita hominis servanda agetur, dubitavit, sibique persuasissimum habebit, communibus potius, quam singulorum observationibus artem obstetriciam promoveri, quum nec errori nec mendacio unius locus concedatur. Ceterum praestantissima ceteroquin sanandorum morborum auxilia per scelus et ignorantiam saepe in perniciem detrimentumve aegrotorum converti, nec ideo minus esse salutifera, non est quod pluribus commonefaciam.

Magno quoque impedimento fuit, quo minus operatio nostra vel innotesceret vel curatius investigaretur, mirifica exemplorum quibus ex artis praeceptis et indicationibus jure institui potuisset inopia. Haec magis etiam medicorum obstetricantium haesitationem videtur confirmasse, utpote quum nemo eorum necessitate coactus esset novum id auxilium vel protinus in usum vocare, vel diligentius pensitare. Ceterum ne ipsi quidem operationis instituendae modi innotuerant, neque enim ab ullo Germaniae medico ante Fro-

riepium et Wenzelium viros Cl. erant illustrati, monebant ad unum omnes. ne institueretur, nemo autem ipse instituerat. Factum est igitur, ut inter partum tempestive ciendum et justo quidem tempore, sed vi peragendum, quem coactum (accouchement forçé) vocant, non satis discernerent medici. Si quis autem experimentum instituendi occasionem nactus erat, metuit, ne in reprehensionem ceterorum et obtrectationem incurreret, neve novandi studio nimis captus, culpam levitatis in re gravissima contraxisse videretur, utpote qui ausus esset, anceps auxilium idque periculosissimum, et plurimis parum probatum, incerta successus spe, protinus in usum convertere. Praeterea obstetricantes medici in exercenda praxi, saepe spatium non habent, quo observationes per longius tempus tam exacte instituant, ut in re nova et parum adhuc explorata oportet, neque aptam semper consilii cum collegis peritioribus ineundi occasionem nanciscuntur, quod ad rem certius et tutius explorandam pernecessarium esse, et imperitorum obtrectationes commodissime praecavere, supra commemoravi. Accedit etiam ad hoc, ut operatio nostra curationibus prophylacticis sit accensenda, quibus certe non nimia haberi fides solet, maxime a mulieribus. quae graviditatis curam minime ad partum pertinere, neque medico prius opus esse, quam in ipsis ad partum doloribus, temere sibi persuadent.

Ita fit, ut multae graviditates, quae partum tempestive ciendum utique exigunt, medicorum observationi et consiliis subducantur, tempore opportuno dimisso. In institutis vero Lucinae sacris, in quibus ars peculiariter augeri ac promoveri solet, exempla, quod ex annalibus uniuscujusque facile potest probari, pauciora obveniunt, ipso artis adminiculo ad eventum qualemcunque perducenda, quam in praxi medicorum obstetricantium privata. In illis enim nomina tantum profiteri solent mulieres innuptae, bene constitutae atque primiparae, quarum graviditas extremis heb-

domadis exacte et ad rem apposite curatur, primo autem tempore parum aut nihil adjuvari potest, quoniam vel serius nomina dare consueverunt, vel, si tempestive etiam dederunt, ob exiguum lectulorum numerum non statim recipiuntur. Rarissime autem nuptae mulieres pristini temporis experientia edoctae et commonefactae, partum ejusmodi in nosocomiis opperiuntur, minus ob paupertatem, quam securitate adductae, quam continua medicorum cura et vigilantia pollicentur. Jam quum partu tempestive eliciendo, magnum quoddam avertatur gravidarum periculum, idque sine magno fieri posset apparatu, et vix notabili illarum discrimine, facile elucescit, operationem nostram haud injuria aequiparari posse artis quibusdam auxiliis, quae praeter victus rationem et venaesectiones saepe intemperanter adhibitas, in usum vocari inde ex eo tempore solebant, quo ars obstetricia ad medicinae regulas directa vigere inceperat, potionibus puta gravidarum salutiferis, ut opinabantur, quibus partus adjuvari et faciliores reddi medici existimabant. Hujusmodi remediis fere operam dabant, ut vim reproductivam in gravidis imminuerent, ad quam coercendam saepe plurimum interesse, neminem sane fugit.

Saepissime autem parum aut nihil proficiebant id genus curationes, nisi securitatem et prosperi successus spem gravidis eas attulisse velis, saepius nimis vehementer et confidenter adhibitae sanitatem cum matris tum prolis evertebant, summo et irreparabili utriusque detrimento.

Quae quomodocunque sese habeant, apparet tamen, operationis nostrae et earum curationum finem esse unum eundemque; securitatem vero illi esse indubitatam, his incertam, ac valde dubiam. Foetus enim evolutio, quam remediis debilitantibus coercere tentant, nihilominus procedit, minime enim gravidarum corpora obtemperare solent opinionibus nostris de effectu medicaminum dynamico modo derivantium praeconceptis, quum alia sit ratio partis alicujus in corpore no-

stro, alia foetus in utero mulieris gravidae. Quapropter desiisse videntur medici abortum ex usu illorum timere. Contra, quanta possunt afferri ad firmandam opinionem nostram de perforationis illius, tam securitate quam praestantia, argumenta.

Etenim aquis opus esse ad foetum in utero servandum, ac partum vel citius vel tardius sequi, prout illae vel tempestive vel sero profundantur, nec minus novas cieri uteri doloribus ad partum jamjam exhausti posse contractiones, ruptis ovi tunicis et demto illarum impedimento, suo fundamento constat, quamvis observationibus nondum plane sit evictum, utrum aquarum profusio perforatis ovi tunicis inducta edendi partus spem perinde fallere possit, atque in fortuito et spontaneo eoque praematuro aquarum secessu non nimis raro animadvertitur. Mihi certe exemplum cujusdam mulieris innotuit satis quidem memorabile, quae cum septimo graviditatis mense, aquas, latente causa, ex toto profudisset, praeterlapso demum octavo mense partum edidit, vivum et vegetum. Quod idem si fieri posset, aquis ex industria emissis, (ad inhibendum graviditatis decursum) fidem magna ex parte operationi nostrae derogari, facile patet, quum certa prosperi successus spes nulla affulgeret, sic ut auxilium istiusmodi ad dubia ac parum certa referendum esset. Omni itaque ope nitendum est, ut haec gravissima res observationibus illustretur, in quibus instituendis id saltem probe in animo tenendum est, quod magnum interesse discrimen debet inter ovi tunicarum in fundo uteri, qualis fieri in spontanea aquarum profusione solet, et in collo ejusdem laesionem, qualem arte instituimus in partu tempestive ciendo. Praeterea huc referendae sunt haud plane infrequentes aquarum post vehementem corporis exercitationem, sensim et pedetentim profusarum observationes, ex ruptura scilicet tunicarum ovi nonnullis ante graviditatis naturalem terminum facta, unde perspicuum paturien-

tibus levamentum allatum esse narratur, indubitatae prolis saluti, quae inter partum laboriosum eundemque nimio turbulentum facile detrimentum cepisset. Fortuitum hujusmodi auxilium, atque ex causa inopinata ortum, si effectus rationem habeas, facile comparari cum operatione nostra potest, clarissimamque ei lucem offundit. Quousque autem inter artis medicae professores constabit, operam esse ad avertenda pericula imminentia assidue navandam, neque caecus occupabit mentes fatalismus, temere fecerit, qui praejudicatis opinionibus deditus, eos vituperaverit medicos, qui lucem curationibus prophylacticis afferendam esse quam clarissimam persuasi, operationem in auxilium periclitantium gravidarum adhibuerint, et artis nostrae praeceptis convenientissimam, et repetitis ex observationibus clariorem etiamnum lucem accepturam, quippe quibus varios adhuc modos et limitationes ejus invenire atque ob oculos ponere licebit. Incongruum tantum atque illicitum illius usum rejiciendum esse, neque ipsam per se, tam facile intelligetur, atque de omni fere remedio salutifero hucusque est intellectum. [1])

Iam vero observationes de partus tempestive excitati decursu a medicis auctoritate excellentissimis hucusque institutae, periculum inde gravidis imminere ne perexiguum quidem, satis omnino manifestant, quum nulla supervenire pejoris notae symptomata soleant, qualia et abortus comitari et operationes quasdam obstetricias insequi saepe animadversum est, puta dolores nimios, spasmos vix tolerabiles, et sanguinis profluvia prae ceteris metuenda. Quod quidem haud difficile est intellectu. Aquis namque sensim et pedetentim profusis,

---

[1]) *Henke* Lehrbuch der gerichtlichen Medicin §. 600. Berlin 1819.

fusis, et utero ad contractiones aequabiles provocato, placenta gradatim tantum solvitur, unde fit, ut vasa placide constringantur, nec ideo sanguinem fundant. Ex his itaque jure colligi potest, magnam operationem nostram praegnantibus securitatem polliceri, contra quam credunt ejus vituperatores. Felici autem cum successu operatio nostra in Germania quater instituta est. Tres ejusmodi historias Wenzelio, [1] unam Krausio Moguntino debemus, a Weidmanno publici juris factam [2].

Jam quum in omni operatione obstetricia quemcunque demum ad finem instituenda, plurimum intersit tam ad matris quam ad prolis vitam servandam, reliquum est, ut curiose dejudicemus, quatenus huic tunicarum ovi paracentesis vel periculum afferre, vel certam salutis spem ostendere possit.

Septimestres igitur qui nati sunt pro corporis indole non modo aptos esse ad vitam agendam, verum etiam vigore ut novimestres, imo ad senectutem provehi posse, tam veterum, quam recentiorum observationibus comprobatur. Fert adeo vulgaris quadam opinio, quam minime superstitionem vocare convenit, aegrius septimestres, quam octimestres perire, cujus rei causa plerumque in eo videtur posita esse, quod octimestres, qum debilitatis et imperfecti corpusculi signa minus in oculos caderent, vix tanta excipere cura solent, quanta septimestres, utpote quorum exiguitas atque teneritas majorem exigit cautionem assiduitatemque. Ceterum vix et ne vix quidem dijudicare partus aetatem inter octavum et nonum mensem licet, obscuris et delitentibus immaturitatis argumentis. Omnis autem partus ante praeterlapsam hebdomadem quadragesimam editus,

---

1) Loco citato.

2) *Weidmann* de forcipe obstetricio.

praematurus est judicandus, quibuscunque eliciatur causis. Harum certe, si ad vitam infantis respexeris, nulla diversitas est, nimirum exceptis illis, quae peculiari quadam violentia, tam inimice in illam agunt, ut vel nascenti inter ipsum partum, vel naturo, utero adhucdum circumcluso utique eripiatur. Talibus operatio nostra accenseri haudquaquam potest. Prorsus enim nihil inter eam accidere potest, dummodo justa et requisita dexteritate peragatur, quod sit foetui utique lethiferum: contra vivum ac vegetum partum vel improsperis rerum sub conditionibus magnisque impedimentis mechanicis iter obstruentibus per eam edi posse, post tam egregias virorum celeberrimorum observationes nemo sane in controversiam vocabit. Proinde ne ab hac quidem parte obscurare operationis nostrae laudes licet, facileque possimus prolatis argumentis acquiescere, nisi obiter adhuc commemoranda sit nota illa ac fere trita quorundam de dignitate aquarum sententia, quas quum ad foetum nutriendum peculiariter pertinere credant, hunc, perforato ovo necessario extingui, sibi persuadent. Vix operae pretium videtur, opinionem ejusmodi, ficulneis sane fulcris nixam ex propositis refutare, quare jam ad enarrandas observationes transire liceat, unde clarius etiamnum, si quid ego hic judico, quatenus periculum partui immineat, elucebit. Optimam enim historiae, quas protinus subjungam argumentandi occasionem suppeditabunt, maximeque medicorum animos ad hanc rem gravissimam attendent.

Observationes ad illustrandas partus tempestive ciendi indicationes idoneae.

Sub finem A. MDCCCXVII. quo anno Britanorum observationes de operationis nostrae praestantia per totam Germaniam magis magisque innotuerant, Ill. de Siebold, ut ipse de re illa gra-

vissima experimenta institueret, consilium cepit, eam qua proxima occasione idonea in usum vocandi. Nactus est quidem nonnullas, sed varias rerum ob conditiones dimittendas esse ratus, partum solita ratione adjuvari jussit, indeque edoctus est:

1) Operationis instituendae consilium summam exigere cautionem, omnesque casus, qui incidere ullo modo possent, quam curatissime esse pensitandos.
2) Opprobrium esse medici tempestive in auxilium vocati, ratione habita partuum praegressorum, quibus neque naturaliter, nec ullo artificio vivus infans maturus excludi potuit, operationem nostram, tuttssimam scilicet ac bonum ad finem instituendam, neque ulli praeterea auxilio aequiparandam minus adhibuisse.

I.

Historia partus gemellorum, quam protinus enarrabo, pernecessarium esse, ut ante partum praemature ciendum gemellorum praesentiae rationem habeamus, luculentissimo argumento confirmat.

Henrica B. annos nata octo et triginta in institutum obstetricium demum recepta est, quum partum jamjam instare sibi persuaderet. Prosperrima, ut ipsa profitebatur, valetudine usque gavisa erat, quare valdopere mirati sumus, quum exploratione rite instituta, pelvis tam angusta inveniretur, ut superioris aperturae conjugata in longitudinem tantum pollicum trium (mensurae Parisiensis) pateret.

Ipsa pelvis inclinatio perexigua erat, venter autem valde tumidus, ac magis ad latera quam antrorsum prominebat Partum difficilem futurum esse, luculenter apparuit. Verum eventus expectationem fefellit.

Partu enim procedente, et aquis largiter profusis, mirifica cum facultate masculus perexiguus idemque asphycticus exclusus est, qui post auxilia rite adhibita brevi revixit.

Explorato ventre, et altera vesica propulsa, non dubitandum erat, quin gemellorum partus esset. Brevi itaque post alter foetus, femella exigua eademque asphyctica, simili cum facultate edita est, quamvis podex prolapsus initio iter obstrueret artisque auxilium exigeret. Et haec, praescripta methodo rite adhibita, brevi spirare incepit.

Puer ponderis $5\frac{2}{3}$ ℔ medic., in longitudinem pollices quindecim, puella ponderis ℔ 4. tredecim cum dimidio habuit. Uterque infans valde erat debilis, sic ut puer aegre invalesceret, puella autem proximo die expiraret. Hic sane nihil ars ad levamen parturientis afferre potuisset, maximeque vituperandus fuisset medicus, qui vehementia qualiacunque auxilia in usum vocaverit. Facile autem quispiam de indicationibus ad partum mature ciendum sibi persuadere potuisset, nulla enim spes erat, foetum simplicem eumque plane maturum sine valido artis adjumento edi posse.

II.

Mortem foetus brevi ante abortum tempore timendam, nec satis usque adhuc intellectam maximam suppeditare ad partum tempestive ciendum indicationem, ex hac historia elucescit.

Dorothea Z. femina annorum 33., constitutionis debilis, jamque 23io aetatis suae anno viro nupta; altero post nuptias mense abortum fecit, magno cum sanguinis profluvio. Sex mensibus post iterum concepit, ac praeterlapso tempore legitimo partum edidit mortuum, ingenti cum labore, atque per novem dies protracto, scilicet ob nimium foetus caput. Tertia graviditas similem absolvit decursum: foetus maturus quidem sed

mortuus exclusus est. Quarta, secundo mense, facto abortu intercepta est, quo iterum valde periclitabatur, ob nimium sanguinis profluvium. Quinta naturaliter decurrit, foetus eandem ob causam mortuus. Sexta semestrem partum edidit. Tristissimo hujusmodi eventu exterrita nondum deposita tamen liberorum spe, auxilium petiit in instituto universitatis obstetricio, quatuordecim diebus ante verisimilem septimae graviditatis terminum Explorata pelvi, conjugata introitus pollicum trium cum quadrante (mens. Par.) reperta est. Partus autem fuit laboriosus, sic ut versione quoque opus esset. Eventus expectationem rursus fefellit, foetus enim, cujus motum ad extremum fere graviditatis finem mater perceperat, mortuus natus est. Erat enim insolitae magnitudinis, perinde atque priores, sic ut vivus per angustam pelvim transire nullo modo potuisset. Nemini autem non apparet, operationem propositam revera hic indicatam fuisse; prohibuisset enim, tempestive instituta, nimium foetus incrementum, ideoque mortis aliquot ante partum diebus secutae causam tutissime sustulisset.

III.

Tertio loco simile priori feminae cujusdam exemplum commemorare liceat, quae, quum felicissimum viri laudabilis matrimonium teneret, vehementer exoptavit, ut aliquando sibi liberi contingerent, ideoque tempestive medicorum auxilium imploravit. Ediderat autem quinquies partum mortuum, tanta cum difficultate, ut forcipe semper et perforatione semel opus fuerit. Suspicio quidem suberat, ne pelvis angustia in causa fuerit, quum et graviditates naturaliter decurrissent, et foetus justam ad maturitatem pervenissent. Exploratio tamen non nimis angustam esse pelvim manifestavit, sic ut infelices illi eventus potius ad capitum insolitos ambitus, scilicet ad

imaginem patris robustissimi formatorum, et fonticulos parum patentes referendi viderentur. Femina, ut certiorem successus spem assequeretur, cuicunque se submissuram esse auxilio pollicita est, a partu tamen tempestive ciendo abhorruit, quum et alia auxilia in promtu esse sibi persuaderet, neque certo promitti posset, partum mature editum vivum fore.

Nihil itaque reliquum erat, quam medicamenta et victus rationem in usum vocare, quibus vis reproductiva superans vulgo imminui solet, atque coërceri. Evenit autem, quod expectandum erat; matris dulcissima spes in irritum cecidit, maximeque dolendum erat, tutissimum coërcendi foetus incrementi auxilium minus fuisse tentatum.

Historia partus ope paracentesis ovi praemature inducti.

Mense Junio A. MDCCCXIX, exigua et gibbosa totoque corpore deformis mulier, eademque de partu sibi instante maxime sollicita ab Ill. de Siebold in curationem mihi tradita est, cujus historiam fusius enarrare non dubito, quum prima fuerit, in qua paracentesis tunicarum ovi ad partum tempestive ciendum instituta est, normam praescribente Cel. Carolo Wenzelio.

Carolina St. annorum 33., caementarii Potsdamensis filia innupta, ut ipsa profitebatur, bene formato corpore nata est. Nono demum aetatis suae anno, spinam dorsi sibi incurvari animadvertit, cujus rei causam fuisse diuturnam infantum gestationem et bajulationem existimavit, cui a prima inde aetate addicta fuisset. Majorem autem noxam ei attulisse videtur dispositio rhachitica, quam septimo jamjam aetate nacta est, victu tenui parce sustentata et a noverca insuper jurgiosa male habita. Nihilominus variolas ceterosque id genus infantum morbos optime tulit. Prima menstrua vicesimo demum aetatis suae anno

nacta est, vehementissimis ad ea moliminibus per sex menses tentata, quibus levamentum afferre nulla medicamina potuerant. Inde ab hoc tempore nunquam periodus menstrua turbata est, omninoque ad naturae normam respondit. A. MDCCCX, aetatis suae quarto et vicesimo ex viro concepit, neque mirum videri potest, graviditatem ipsi molestissimam factam esse et laboriosissimam, cujus post primum mensem tam vehementibus excruciata est artuum doloribus, ut in nosocomio quodam medicorum auxilium imploraret, suppetias autem paene nullas impetraret. Tanta enim erat dolorum istorum pertinacia, ut ad finem usque graviditatis saevirent, neque ullum miserrimae tempus concederent liberum. Sexto graviditatis mense, id quod fere expectandum erat, abortum fecit, postquam per integrum mensem foetus motus senserat. Hunc atrocissimi ventris dolores praecessere, qui, quum sensim et pedetentim augescerent, septimo die, in genuinos ad partum dolores abierunt, quibus vehementissime vexata, gemellos semestres eosque mortuos exclusit. Patrem fuisse militem robustissimum professa est. Tertio post abortum die, quamvis artuum doloribus usque laboraret, lecto surrexit, decimo quarto, et ab his liberata et ceteroquin integre sanata ex nosocomio excessit.

Brevi post, uterum ex parte prolapsum esse sensit, quod vitium quum indies augesceret, coacta pessarium sibi intromitti jussit, idque per aliquot annos in vagina habuit. Extremo triennio quietioribus tantum occupationibus vacavit, vitae sedentariae addicta, neque vitium illud recrudescere sensit.

Novissima de qua praecipue agitur ejus graviditas, uti videtur mense Novembri superioris anni inceperat, hoc enim mense menstrua cessaverant. Ineunte mense Aprili primos foetus motus persentiscere sibi visa est, unde patet, exeunte mense Junio, octavum mensem solarem praeterlapsum ideoque integrum etiamnum sesquimen-

sem reliquum fuisse ad naturalem usque graviditatis terminum. Coierat autem cum pannifico non nimis robusto. Per totum graviditatis decursum, quod exacte notandum videtur, commodissima valetudine usa, nec ullam molestiam conquesta est, praeter auctam salivae secretionem, quae media graviditate rursus decrevit. Decimo octavo igitur M. Junii die (A. MDCCCXIX.) pro rerum iniquis ceteroquin conditionibus optime se habuit. Jam vero necessarium est ut ipsam corporis deformitatem, cujus in prioribus mentionem injeci, accuratius aliquanto percenseamus, inde enim facilius intelligitur, quale eventus praesagium fuerit, et quaenam ad moderandum partum regulae atque cautelae extiterint. Nulla enim spes affulsit, ex priori semestrium gemellorum abtu, instantem partum naturaliter et prospere cessurum esse. Accurata igitur deformis corpusculi exploratio haec suppeditavit:

Gravida in longitudinem patuit pedum quatuor et pollicum duorum (mensurae Parisiensis), Dexter humerus, prominente scapula, sinistro pollice altior, spatium autem ab altero ad alterum pollicum (ejusdem mensurae) duodecim cum dimidio, thorax ad dextram vehementer distortus, tota dorsi spina ad sinistram valde curvata, dextra coxa pollice altior sinistra erat, osse sacro prorsus obliquo, ac dextro latere prominente. Promontorium cum sinistra ossis sacri parte intorsum prominebant, unde et musculi glutaei dextri lateris, sinistri lateris glutaeos ambitu magnopere superare videbantur. Fundus uteri scorbiculo cordis tribus digitis transversis inferior erat, prominente umbilico, ipse autem venter sinistra tumidior quam dextra apparuit. Foetum sese dimoventem dextra, manu transversa supra umbilicum persentiscere, nec minus duritiem super ossa pubis animadvertere licuit. Partium genitalium situs medius erat, paene anterior. Portio uteri vaginalis media in apertura, paullo ad sinistram sita, pollicem dimidium longa erat, ore uteri externo

adeo patente, ut immissi digiti apex commode intrare posset. Super arcu vaginae foetus caput ossa pubis versus positum erat.

Pelvis exploratione iterato instituta, haec inventa sunt:

Diameter pelvis majoris transversus ope instrumenti, quod gallice Compas d'epaisseur dicunt, demensus, ab altera ossis ilium crista ad alteram decem (mensurae Paris.) pollices habuit, pelvis minoris conjugata in apertura superiori, pollices 3.; conjugata diagonalis 3''. 2''', conjugata mediae aperturae $2\frac{3}{4}$''. Exitus pelvis spatiosus erat, ossibus pubis ad normam arcuatis, quapropter immisso ad explorandum digito promontorium facile contingere licebat, ad sinistram positum. Facile quoque lineae innominatae cursus sinistra in parte investigare licuit, quum et hac in parte pelvis aliquanto angustior esset.

Facile autem colligi potuit, in quantum structura ejusmodi a naturae norma recederet. Major quidem pelvis et minoris exitus amplitudine convenerunt, promontorium vero, totumque os sacrum tam distortum quam prominens, sinistri lateris spatium nimis coarctabant. Apparuit itaque, magna fereque insuperabilia partus impedimenta fore, quae artis auxilium haud exiguum exactura essent. Gemellos adesse, ne ullo quidem ex signo conjectari potuit, optima autem gravidae valetudo et venter satis tumidus et vehementiores motus, partum haud plane exiguum editum iri ostendebant, indubitato quidem parturae detrimento. Tam iniquis igitur rerum sub conditionibus, in partu per paracentesin ovi tempestive prolicito spes posita erat, fore, ut proles, quod dubitari vix potuit, plane vitalis, servata matris vita, nasceretur. Certa quidem de infantis vita prognosis ferri non potuit, nullum vero auxilium securitatem pollicitum esset, ne ipsa quidem forceps.

Erat autem in operatione instituenda aliqua difficultas, eoque cautius procedendum videbatur,

quum instrumenti ab auctoribus ad eam propositi utilitas ex iterato tantum usu certius dijudicari, ideoque suspensa tantum manu id adhiberi posset. D. operationis XVIII. M. Junii indictus est, quo die, quum gravida ceteroquin optime se haberet, exploratio iterum instituta, quae supra proposui prorsus confirmavit. Alte super pelvis minoris introitum dura eademque mobilis foetus pars facili negotio sentiri potuit, quae pro capite habita est, id ipsum confirmante ventris exploratione, qua, ut ante commemoravi, membrorum motus circa umbilici regionem animadvertere licebat. Jam quod ipsam ad operationem peragendam pertinet, tenue ad modum acus tricuspidatae formatum et convenienter curvatum instrumentum crassitudinis pennae corvinae, ac satis longum primum per vaginam, deinde per os uteri tam externum quam internum placide ad ovi usque tunicas producitur. Dum intromittitur, apicem in vaginam reductum ab eaque plane circumdatum esse oportet, ne partes temere laedantur. Deinde, si ad ovi usque tunicas perventum est, apex celeriter ex vagina emittitur, postea extrahitur, manente intus vagina, unde aquae profluant. Ipsa autem aquarum profusio unicum est certissimumque operationis feliciter peractae argumentum. Gravida nostra ad paracentesin quam tutissime peragendam, ita collocata est, ut in pulvinari parturientium posita, transverse in lecto sederet, qua in positura Ill. de Siebold ferramentum inintromittere tentavit.

Magna autem in hac re difficultas haesit, quum et os uteri internum arcte clausum esset, et portio vaginalis sursum, paene ossibus pubis tenus cederet, facileque appareret, vel vesicam urinariam vel foetus partes sine anxia exactissimaque circumspectione laedi, per apicem celerius productum posse. Praeterea magno impedimento fuit brevitas instrumenti et gravidae sensibilitas. Operatio igitur, quod metuendum erat, non cessit; quamvis enim canalis ad ovi usque tunicas pertinere

semel sit visus, aquae tamen, educta acu nullae profluxerunt. Exemtum deinde canalem muco inhaerescente obstructum vidimus, unde aquarum profluxum fortuita hac re impeditum fuisse, posteaque illas forsitan emanaturas esse, conjectari potuit, qua de causa Ill. de Siebold operationem perseveranter tentare destitit, quum et gravidae vehementer affectae parcendum esset. Verum eventus conjecturam non confirmavit, nec ullum erat signum operationis feliciter peractae.

Quarto deinde die (d. XXII. M. Junii) hora quinta pomeridiana operatio denuo tentata est. Gravida, uti descriptum est, in lectulo collocata, Ill. de Siebold specilium ferreum convenienti longitudine, idque capitulo munitum per os uteri tam externum quam internum demitti jussit. Quod cum facile peractum esset, instrumentum Wenzelianum ad id factum quod ante descrtpsi, difficilius aliquanto intromisit. Intromissum ad pollicem dimidium sursum in capacitatem uteri facile negotio promoveri potuit. Deinde apicem magna cum circumspectione, tardissimeque produxit, postea acu exemta, promanabat protinus non multa aqua. Quo facto, gravida commodius in lectulo collocata, per quatuor etiamnum horas in pulvinari sedit, usque prostillante aqua, quae in vase supposito excepta, flavidum retulit colorem, et sedimentum albidum deposuit. Destillaverant autem quatuor aquae librae med. et sex unicae.

Proxima nocte gravida bene se habuit, nullis vexata doloribus, quamvis per aliquot tantum horas placidum caperet somnum. Stragulum torale proximo mane aqua humectum inveni, parce adhucdum emissa. Gravida noctu semel desederat, alvo liquidiori, nec minus urinam miserat. Mane dolorem dentium conquesta est, qui somnum sibi turbaret, quo solo malo per graviditatem laboraverat.

D. XXIII. M. Iunii mane ventrem minus tumidum, uteri vero portionem vaginalem paene immutatam, nec valde dilatatam inveni, sic ut di-

gitus immissus os uteri internum nondum penetrare posset. Ad ossa pubis pars quaedam dura ac prominens, ut videbatur cubitus, prope os sacrum, super pelvis introitum alia pars mobilis eademque globosa, quae caput esse foetus videbatur, facile sentiri potuit. Raro tantum doloribus venter perstringebatur, foetus autem motus gravida persentiscere sibi visa est. Totum per diem lecto tenebatur, ad sinistrum latus cubans, quum dextro in latere venter multo plenior esset. Ad vesperam dentium dolores cessaverant, nec ullam praeterea mutationem observavi.

D. XXIV. M. Junii noctem aegrota inquiete transegerat, nec ullum ceperat somnum. Hora prima nocturna vehemens eam frigus peculerat, cum tensivis artuum doloribus, quo invadente, ventris dolores, qui ad eam ipsam increvissent horam, plane cessasse eorumque loco vehementes regionis sacrae tensiones ad humeros usque productas supervenisse affirmavit. Interea ineunte frigore et motus in ventre cessaverant prestillante aquae exiguo modo. Narravit quoque, inter ipsam aquae profusionem motus gradatim imminutos sibi visos esse, producto frigore ad tertiam usqne horam. Quo cessante, urinam aliquoties misit coloratam, ut in febricitantibus, ac sedimentum largiter deponentem, quod mane animadverti potuit. Post horam tertiam toto concaluit corpore, ardente vexata siti et continentibus vigiliis, nec ullo redeunte foetus motu. Venter magis etiam contractus erat, dextra prominentior, sic ut fundus uteri umbilicum quatuor ferme digitis transversis perspicue excederat. Sinistra declivis apparuit, multoque mollior. Portio uteri vaginalis immutato ceteroquin situ jamjam turgescere videbatur, os uteri internum vero, quamvis adhucdum digito immisso impermeabile esset, ambitu tamen auctum apparebat. Pulsus, quasi a febre concitatior ac frequentior, calor modicus. Hora septima matutina decocta quaedam emollientia in vaginam injici curavi, unde factum esse

videtur, ut dolores ad similitudinem dolorum ad partum propius accederent. Hora undecima meridiana bilem vomitu rejecit, pulsu haud admodum frequenti et subduro. Dolores ad partum perspicue intermittebant cum quadam veluti tensione deorsum conjuncti. Os uteri ad longitudinem trium ferme linearum obliteratum admodum turgescebat pariter atque tota vagina, quae concalescere videbatur, ore uteri interno jamjam permeabili.

Praeterlapsa hora iterum vomuit, deinde insudavit, augescentibus ad partum doloribus, nunquam vero parturiens insigniores regionis sacrae dolores accusavit. Hora secunda pomeridiana os uteri plane evanuerat, sic ut per aperturam diametri ferme pollicaris, et caput foetus anterius collocatum, immobile, et cubiti loco, vola manus facile sentiri posset. Jam post praeterlapsam tertiam horam exploratione instituta, os uteri plane distentum reperi, capite proxime exitum collocato, quod horae quadrantis spatio prodiit, sic ut positura naturali, haud admodum difficili negotio, explicaretur. Facilius etiamnum truncus secutus est, flaccidus atque tractabilis, uti reliquum corpusculum, nec amplius pulsante funiculo umbilicali, quem, quum experimenta ad resuscitandam vitam incassum adhibita essent, protinus dissecui. Aquae perexigua copia supererant, sic ut corpusculum in transitu tantum humectaretur. Sexta horae parte praeterlapsa secundinae in vaginam progressae facili negotio exemtae sunt, utero omnino fortiter se contrahente. Puerpera quamvis per se perquam debilis esset, post partum tamen non nimiam fatigationem sensit, neque sanguinis profluvium passa erat, lochiis postea naturaliter profluentibus, nec ulla intrante lactatione. Tandem die post partum decimo quarto ex instituto excessit, pro iniquis alioquin rerum conditionibus sanissima, nec ullum ad praevertendum qualemcunque morbum, praeter victum congruum adhibitum erat.

Partus editus femellus erat, pondere librarum sex (medic.) longitudine pollicum 17 cum duabus lineis (mens. Par.). Humeri in latitudinem patebant 3″ 7‴, pelvis, 2″ $7\frac{1}{2}$‴. Capitis diameter transversa 2″ 8‴, longitudinalis 3″ 6‴, diagonalis 4″ $1\frac{1}{2}$‴, ambitus 11″ erat. Ipsum caput exiguis opertum erat capillis, fonticulis haud admodum patentibus, ossibus ceterum satis solidis. Externarum laesionum vestigia nulla apparuerunt, praeter levem ossis parietalis sinistri impressionem. Prope fonticulum magnum capitis integumenta validum in tumorem surrexerant. Reliquum corpusculum lanugine obsitum, cutis subrubra, ungues tam in manibus, quam in pedibus parum exculti erant et coerulescentes, papillae planae, sine halone; nymphae prominentes, membrana pupillaris nulla.

Placenta admodum laxa et flaccida oblongam retulit figuram, diametro longitudinali 8″ 3‴, transversa 5″ 3‴, pondere libr. 2. med. Funiculus umbilicalis 18″ 4‴ longus, qui collo foetus duplici amfractu circumvolutus fuerat, $1\frac{1}{2}$″ prope marginem in placentam transiit. Ovi tunicae excentrice disruptae erant.

Cadaveris sectione altero die instituta nihil praeternaturale repertum est, praeter sugillationem satis conspicuam, quae capitis integumentis ab altera aure ad alteram transsectis apparuit. Fonticuli fere obliterati erant, et os parietale sinistrum mediam ad suturam sagittalem tribus fere lineis depressum. Vasa meningum cum tota cerebri superficie sinubusque, sanguine vehementer turgebant. Quod idem animadvertere licuit in cerebello. Pulmonum atque ac totius thoracis indoles, partum nondum respirasse ostendit.

Epicrisis.

Ex proposita partus historia facile jam intelligere licet:

I. Si ad matrem spectes:

1) Operationem descriptam, dummodo caute et justa cum dexteritate instituatur, neque dolorificam esse, neque periculum afferre.
2) Eandem magnam exigere circumspectionem, nec institui ab ullo posse, nisi a medico obstetricio ut versatissimo ita consideratissimo. Periculum vero laedendi uteri abusum temerarium praecavere, [1]) ipsamque operationis difficultatem ex partuum praegressorum numero dijudicandam esse, inde enim et formam suam portio vaginalis recipit, et situs ipsius et oris uteri capacitas dependet.
3) Uteri post operationem contractiones sat validas esse expectandas, easque vel majora partus impedimenta amoliri posse.
4) Partus per singularum periodorum decursum pelvis dimensionem confirmasse. Etenim quum caput magnum promontorii in pelvis minoris introitum valde prominentis impedimentum superasset, ceterarum partium egressus celeriter et expedite contigit.
5) Puerperii quidem per singula stadia decursum plane naturalem fuisse, nihilominus tamen novis observationibus statuendum esse, utrum lactatio sit expectanda nec ne. Etenim si vivus infans natus est, magnopere ad ejus curam interest, ut lacte materno sustentetur, quum praematuri partus id peculiariter exigant.

II. Si ad partum:

1) Puellam a puerpera nostra editam haud plane quidem maturam, aptam tamen ad vitam agendam fuisse, neque errorem in dijudicando tempore ad id opportuno, esse commissum.

---

[1]) *Henke* Lehrbuch der gerichtlichen Medicin. §. 598.

2) Puellam nondum respirasse, nec ideo per se vixisse a matre sejunctam, eamque emortuam jam in utero esse, sedecim ante peractum partum horis, quod et ex puerperae cessantis motus sensu et frigore illo, cujus mentionem suo loco injeci, intelligi potuit, et ipsa cadaveris inspectione confirmatum est.

3) Ossa sesquimense ante naturalem foetus maturitatem adeo consolidata, eademque tam parum tractabilia, ut vehementiori tantum impressioni cederent, tam iniquis rerum sub conditionibus insuperabili impedemento futura fuisse; quo minus partus maturus citra perforationem vel forcipis opem vere ancipitem ac matri per se debili periculosissimam excluderetur.

4) Causam mortis ut videtur, sanguinis circuitus impedimentum fuisse, ab inaequali capitis ad prominens ossis sacri promontorium positi pressione allatum, qua et illius reditus impeditus, et apoplexia eo facilius inducta est, quo vehementius et ipsum tenuissimi corpusculi cerebrum compressum erat.

De indicationibus et contraindicationibus ad partum tempestive ciendum.

I. De Indicationibus

parum usque adhuc ab auctoribus propositum est, quum vel strenuissimus quisque operationis nostrae laudator ad eas absolutissime certissimegue stabiliendas, nonnullas maximi momenti res deesse, facile comprehenderet: ambitus puta foetus capitis et pelvis materiae spatia, quae, uti exigunt plerique, exactissime inter se collocata, omnemque ad dimensionem numeris expressa quasi ob oculos ponenda sunt, superaddito quoque tam compressibilitatis ossium capitis, quam pelvis singulis in partibus extensibilitatis modo. Quo si

plane

plane evicta sint et dubitantibus ad oculos demonstrata, disputationi demum de instituenda operatione locum concedunt. Nova autem, si quis plane persuasus est, posse a medicis obstetricantibus quaestiones ejusmodi solvi (quod nemo dubitat, alias enim neque sectio caesarea, neque synchondrotomia, neque perforatio, neque foetus comminutio vere fuissent indicatae) dijudicandarum indicationum difficultas oritur. Solutis enim illis quaestionibus, reliquum esset ante instituendam operationem statuere, sitne illorum spatiorum per sesquimensem vel duos menses immutata constantia expectanda nec ne? Fieri enim posse quispiam contenderit, ut vel pelvis spatio etiamnum augesceret, vel foetus caput exigua tantum incrementa caperet.

Haec et alia talia proferentibus objici fere potest, tantam tamque geometricam certitudinem neque rei obstetriciae pro sua natura inesse, neque valdopere desiderari. Neque enim instrumenta ad demetiendam pelvim variis ab auctoribus tam studiose excogitata medici idonei dexteritatem superant, nec ipse Bozzini conductor lucis [1]), etiamsi altiorem ad perfectionem evectus esset, lucem affere obscuris rebus potest, quum inter artificiosa tantum instrumenta sit referendus, nec ullam re vera haesitantibus securitatem polliceatur [2]). Jam quod ad foetus caput pertinet, septimo graviditatis mense demetiendum, nullum, quod in confesso est, ars nostra auxilium suggerit, hujus ambitum conjectura tantum ex parentum constitutione et graviditatis decursu assequi possumus.

Inde colligitur, hac in re solam esse consulendam experientiam. Operatio auxilium nobis praebet ad avertendum quoddam periculum: proinde usus et experientia lucem naturae hujus pe-

---

1) *v. Froriep's* Handbuch der Geburtshülfe 1818. §. 345.
2) *v. Siebold's* Lucina.

riculi afferre et edocere nos debet, quibus tandem rerum sub conditionibus partus naturae viribus vel cognito alio quovis auxilio edi prorsus non possit, sic ut ad extremum hoc nostrum auxilium utique sit recurrendum. Ejusmodi sub conditionibus paene ineptias esse, periculum semel forsitan aegre superatum reprobanda cum securitate iterum expectare superventurum, non est, quod pluribus exponam. Operationis autem, si Anglicorum medicorum sententias a Joanne Hullio nobiscum communicatas sequi velis, duplex finis est, quatenus vel extremis duobus graviditatis mensibus ad vitam tam matris quam foetus, vel prioribus ad vitam tantummodo matris servandam suscipitur, quibus foetus parum excultus ad vitam per se agendam, nondum aptus est. Idem professus est Joannes Burns, quod ex verbis ipsius supra allatis facile patet.

Nulla igitur indicationum ad artis obstetriciae operationes ratione habita, quibus posthabita foetus, matris tantum vita tutius quodammodo servatur, constet apud nos, uti et supra proposui, partum per paracentesin ovi tempestive tum demum ciendum esse, quum utriusque vitae servandae indubitata spes affulserit, quatenus nimirum indubitata spes unquam esse potest.

Exinde patet, talem solummodo pelvis indolem ejusmodi suppeditare indicationem posse, qualem partus vivi edendi spem prorsus praecidere et per se patet, et prioribus experimentis extra omnem dubitationis aleam positum est.

Hujus rei duplex esse ratio potest, partus enim impedimentum vel dynamicum vel mechanicum est.

1) Hoc foetus ipsum per partum extinguuntur, quo referre licet:

a) Spatium pelvis per se angustius, quam ut partus maturus excludi possit, ac recurrendum utique sit vel ad sectionem caesaream, vel perforationem, vel forcipis usum sane ancipitem, matres enim diutius male habitae fere

moriuntur vel summo certe in discrimine vitae versantur. Ejusmodi rerum sub conditionibus ipsa pelvis exploratio certissimam ad paracentesin nostram indicationem suppeditare potest.

b) Pelvim per se quidem satis spatiosam ad caput vero foetus insolenter magnum relatam, angustiorem. Ejusmodi casus solummodo indicare operationem potest, si post infelices priorum partuum eventus, conceptionis eaedem persistunt conditiones, v. c. si pater nimis robustus et procerus, mater vero exigua et tenera est.

c) Propositas indicationes inter se conjunctas, unde major etiam operationis necessitas nascitur.

2) Partus impedimentum dynamicum est, idemque penitus reconditum, quo foetus haud apparente causa brevi ante partum emoriuntur.

Haud infrequens sane observatio est, qua mulieres et bene valentes et bene constitutae et naturali quoque pelvis structura gaudentes, quamvis aliquot ante partum dies foetum sat fortiter sese moventem senserint, mortuum tamen partum edunt. Hic neque nisus ad partum, nec ulla res quae parturientibus acciderit, in causam asumi tam iniqui eventus potest, quandoquidem partus per se ad naturae normam exactissime decurrit. Existimandum potius videtur, graviditatis ordinem periodicum ad foetus evolutionem haud convenienter fuisse relatum.

De contraindicationibus.

De conditionibus quae operationem nostram vel dissuadent vel prorsus vetant faciendam, passim plurimum est ab auctoribus propositum, quod mirum videri non potest, quum tot illius contraindicationes re vera existant. Ceterum ad has minime casus quosdam pertinere, qui omni superve-

nire partui possunt. partim molestos partim noxios, eosdemque vel matri vel puero periculosos, qui nec praevideri possunt, et regulis quibusdam generalioribus curantur, ut puta funiculi umbilicalis prolapsum et sedem placentae in ore uteri, molestissimum certe operationis impedimentum, contraindicationem enim vix dixerim, luculenter omnino apparet.

Cel. Froriepius in novissima compendii sui editione (§. 518) has proposuit contraindicationes:

a) „foetum emortuum, quem perforationis ope potius excludendum esse per se pateret." Attamen mihi, si quid meum hic judicium valet, quum summa in dignoscenda foetus morte difficultas haereat, maxime ante disruptas ovi tunicas, probabilius videtur, post factam ovi paracentesin, partum ejusmodi in casu naturae committere, quum corpusculum emortuum per se flaccidum atque tractabile, facilius et commodius nec ullo matris cum periculo possit ab utero, nimirum tamquam a corpore alieno irritato, inde validius sese contrahente, excludi.

b) „Graviorem quemvis matris morbum, nimirum prius tollendum, quam operatio instituatur." Huc referenda est alia ejusdem auctoris sententia (§ 282), qua acutus quisque morbus idemque asthenicus in causam abortus assumitur. Chronicos enim corporis affectus vix talem exserere effectum posse existimat, illamque sententiam typhi epidemici A. MDCCCXIII exemplo confirmat, quo plurimae uterum gerentes abortum fecerunt, perspicuo quidem aegritudinis levamento. Exinde vero comprehendi potest, morbos asthenicos re vera operationis contraindicationem haudquaquam continere, quum a partu naturali in convalescentiam verisimiliter incisuro, gravior sit noxa expectanda, quam ab operatione tempestive instituta.

Peculiaris adhuc observatio his in conditionibus est, quibus operationem vel vetari vel aliter limitari suo fundamento constat: Primum, pelvis deformitate, quae particularem angustiam affert, sive sit a morbo quodam ossium sive vicinarum partium tumoribus orta.

Tum abstinendum est ab operatione, alia quacunque foetus parte praeter caput ad os uteri posita.

Deinde si qua suspicio subsit, ne uterus gemellos gerat, vel desistendum ab instituendae operationis consilio, vel illa differenda est, sic ut brevi, ante naturalem graviditatis terminum, tempore instituatur.

Denique prorsus posthabenda est operatio in tali praegnantis morbo, qualis per graviditatem cohiberi et intermitti solet, deinde vero vehementius exandescere, v. c. in phthisi pulmonali.

Jam quum facile perspici possit, certam partus servandi spem operationi haudquaquam subesse, eundemque eo magis periclitari, quo majora exclusionis impedimenta sunt, (unde et nimiam pelvis angustiam inter illius contraindicationes referendam esse, nemini non clarum est) in experimentis postea instituendis utique hujus rei rationem habendam esse, suo fundamento constat. Patet quoque, quaenam exemplorum narrationibus, quibus vitam servatam esse proferetur, fides habenda erit, nisi adjecta sit tam pelvis spatiorum, quam capitis ambitus et ante et post partum exactissima comparatio. Certum est enim, eo meliorem servandi partus spem affulgere, quo minus a naturali structura pelvis recedit, maxime in indicatione, quam secundo loco proposui, quippe qua graviditas prius ad finem perducenda est, quam foetus emoriatur.

Jam vero, quum operationem tantum instituendam esse, quando manca nostra et parum absoluta spatiorum pelvis cognitio infelici praegressorum partuum eventu confirmata sit, et certior quodammodo reddita, ante proposuerim, nonnul-

lorum objectionem, qua incerta illa in primiparis habetur, per se concidere, in confesso est. Etenim si re vera in primiparis indicatio ad partum tempestive ciendum vel ex angustia vel ex alia quavis pelvis deformitate deduci posset, exacte tamen considerandum esset, matrem de tempore nihil certi affirmare, nec ideo operationis tempus ad normam supra propositam constitui posse, et si forte affirmarit, conceptionis bene conscia, metuendum esse, ne partus nimis protrahatur, maxime per quartam periodum, ob resistentes scilicet partes genitales externas, quo puerum magis etiam periclitari constat.

Et haec hactenus. Superest Candide Lector, ut ad benevolentiam tuam provocem, si qua in tractatu proposito scriptoris tirocinium manifestare Tibi videantur. A vituperatoribus autem operationis a me illustratae, qui talia in vulgus edi nolunt, veniam eo me impetraturum esse confidenter spero, quod et indicationes ejus justos intra limites restringendas curavi, et rem ita publici juris feci, ut ab idoneis tantum iisdemque eruditioribus medicis cognosci queat, abusui vero, vel temeritati vel sceleri occasionem non praebeat.

Facile enim intelligimus, quam sit utilis illa a majoribus recepta consuetudo, de rebus quae facile in abusum vel ab artis medicae histrionibus, vel a maleficis summo generis humani detrimento verti possunt, insolito quodam sermone, maxime latino, disserendi. Hoc certe magnus profanorum grex abarcetur, ne in Aesculapii templum temere irruat, quique lucri cupidiores, quam laborantium salutis studiosi sunt, procul abesse jubentur.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
ADJECTUM.

Ego, Joannes Godofredus Immanuel Guilelmus Harras natus sum Magdeburgi A. MDCCXCII patre optimo vectigalium hujus civitatis praefecto, qui a tenerrima aetate ad annum usque XVII bonis artibus ac literarum rudimentis me institui curavit, quo tempore praemature morte mihi et matri dilectissimae, qua superstite gaudeo, ereptus est.

Litteris quae ad humanitatem pertinent, in schola patriae metropolitana Rectore Celeb. Funkio tunc temporis florentissima imbutus sum. Peracto hoc studiorum cursu, quum animus artis salutaris amore vehementer exardesceret, auctoritate commotus arbitrorum idoneorum, maxime conventurum esse ratus, si ad medicinam rei pharmaceutici usu diuturniori viam mihi aperuerim, Berolinum me contuli, ut Doct. Wendlandio, hujus urbis pharmacopolae prae ceteris aestimatissimo in disciplinam me traderem, qui cum pharmaceuticis me instituit, tum beati Willdenowii, Celeberrimique Turtii lectiones de botanice

et arte chemica ut frequentarem humanissime mihi permisit. A. MDCCCXII aetatis meae XX, cum in patria delectus haberetur, legibus regni Guestphalici iniquissimis, satisfacere coactus sum, anno autem vix praeterlapso, fracta Napoleontis tyrannide, Berolinum redii, ubi artem pharmaceuticam exercui, unaque Fischeri et Haynii Virorum Celeberr., nec minus Ill. Hermbstaedtii lectionibus de physice, re herbaria et chemia interfui. Eodem tempore in numerum sodalium societatis pharmaceuticae receptus, litteris, quae ab hac tractari solent, acri cum studio operam dedi.

Ineunte anno MDCCCXV Mitaviam profectus sum, ut officinae ibidem pharmaceuticae, olim aulicae, praeessem, quapropter examini coram facultate medica Dorpatensi rite me submisi, quae dignum me habuit ut tali munere fungerer. Paulo post a societate litteraria Curlandica in numerum sodalium ordinariorum receptus sum.

Peracto biennio ineunte, A. MDCCCXVII Berolinum redii disciplinae medicae demum operam et studium impensurus. Civibus academicis a Celeb. Linkio tunc temporis Rectore Magnifico adscriptus sum. Lectionibus autem inde ab hoc tempore interfui his: de zoologia Celeb. Lichtenstein, de osteologia, syndesmologia, splanchnologia Ill. Knape, de anatomia universa et pathologica Ill. Rudolphi, unaque cadaveribus arte dissecandis in theatro anatomico operam dedi. Deinde Celeb. Link philosophiam naturae, Celeb. Osann physiologiam et Celeb. F. Hufeland pathologiam generalem exponentibus, auditor affui, nec minus Perill. Hufeland institutiones medicinae practicae et Ill. Horn lectiones de pathologia speciali deque doctrina morborum syphiliticorum frequentavi. In therapia Ill. Formey, in diaetetice ophthalmica Ill. Graefe, in acologia et doctrina de ossibus luxatis, fractisque Cel. Bernstein et Clar. Kluge praeceptoribus usus sum. Chirurgia generali Ill. Graefe me instituit. Celeb. Rust morborum chirurgicorum curationes mihi tradidit,

unaque operationum chirurgicarum modos in cadavere monstravit. In artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam Ill. de Siebold me imbuit, qui et exercitationibus obstetriciis in machina phantome institutis, discipulum me admisit, nec minus in clinice obstetricia et morborum mulierum doctrina me erudivit. Quo peracto studiorum cursu summam ex institutionibus clinicis Perill. Hufeland et Virorum Ill. Berends, Graefe, de Siebold, nec minus Ill. Horn utilitatem cepi, quibus si quid in re medica profeci, acceptum refero. Vix autem gratum animum Ill. de Siebold, viro de me meritissimo contestari possum, qui extremo anno, quo arti obstetriciae praeprimis operam dedi, et in instituto suo clinico et in urbe gravidis, aegrotantibusque mulieribus, ingenua cum humanitate discipulum sui studiosissimum me adhibuit.

Jam vero tentamine medico coram Decano Spectabili et examine rigoroso coram Gratioso medicorum Ordine feliciter absolutis, spero fore, ut post hancce dissertationem rite defensam, summi in medicina et chirurgia honores more majorum in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Nec medicinae, nec ethicae praecepta, partum artificio praemature cieri, vetant.

II.

Pulmonum in aqua natandi facultas, incertum, vitae extra uterum actae, argumentum est.

III.

Nullus morbus sine congestione sanguinis.

IV.

Remediorum antiphlogisticorum vis, concoctioni laesae et nutritioni impeditae, tribuenda est.

V.

Extant bubones primarii.

VI.

Uteri putrescentiam quae dicitur, inflammatio nulla praecedit.

VII.

Acidum zooticum in cerebrum et nervos agit, vasorum systema primitus necquaquam afficit.